



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutiones Morales**

In Quibus Vnivers[ae] Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

30. De iure, & potestate dominorum in seruos, & primum quo iure sit  
seruitus inducta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14007**

utroque Fratres uterini. C. de inofficio testam. nisi frater in testamento præteritus infamis quoque fuerit, aut fratri testatori ingratus: tunc enim contra testamentum actionem non habet, quamvis infamem hominem frater hæredem instituerit. *Authent. De nuptiis. §. Ingratus dicitur.*

Octavo quaeritur, An vnus coniux debeat alterum coniugem hæredem instituire, ita vt alter alteri portionem legitimam debeat? Respondeo, in hunc modum: coniux debet iure communi coniugem suorum omnium bonorum hæredem instituire, si nullos filios haberit legitimos, nec parentes; quod si liberos habeat, debet in coniugem partem suorum bonorum partem testamenti transferre, si absque dote in matrimonium duxit, & ita pauperem, vt aliunde viuere nequeat. *Authent. de exhiben. rei. §. Quoniam vero. Authent. Præterea vnus vir, & vxor. Authent. Vt liceat matri. §. Aut & Quia vero.* At cum maritus liberos habeat, quæ pars bonorum eius ad vxorem ita pertinet, vt eius dum viuat, tantummodo vsum, & fructum habeat: nam dominium ad filios, ex eodem matrimonio susceptos spectat. Idem iuris habet maritus in bonis vxoris, quod habet vxor in bonis mariti.

### C A P. XXX.

De iure, & potestate Dominorum in seruos, & primum quo iure sit seruitus inducta.

Agendum nobis nunc est de iis, quæ seruus domino debet; & vicillim de iis, quæ dominus seruo præstare iure compellitur, sed dicendum tamen prius generatim est, quid iuris herilis potestas in seruos contineat. Summa pertonarum diuisio est, vt hominum alii sint liberi, & sui iuris, alii serui, & alieni iuris leg. 1. ff. de statu homin. Instituit. de iure personar. §. 1.

Primo quaeritur, An aliquis ex liberis parentibus procreatus seruus natura nascatur? Hanc quaestionem Aristoteles tractauit lib. 1. Polit. cap. 3. Dicimus (ex liberis parentibus) quoniam, vt inferius dicemus, multi natura sunt serui, hoc est, origine, quia ex ancillis, quæ sunt mancipia nascuntur. Quæstio igitur est, an aliquis ex utroque parente libero nascatur, non natura serui. Fuerunt enim quidam, qui id affirmauerint Aristotelis auctoritate permoxi, qui 1. Polit. cap. 1. approbare videtur Pœtæ arum testimonium, dicebant Græcos Barbaris dominari oportere: quod idem sit natura Barbarus, & seruus: & cap. 3. dicit, quosdam nasci seruos, & seruitutem quandam ex ipsa natura contrahi, quia aliqui nascuntur heredes, & tardi, ac proinde oportet eos aliorum consilio, ac imperio regi, qui mente, ratione, ac sapientia valent. *Quomodo modum, inquit, corpus natura menti, & ratio parit, & mens imperat: deinde quemadmodum natura cum sensu animantes rationi expertes homini subiecti, uti ratione, & intelligentia præditio, qui ipsi naturaliter dominatur, & imperat: Sic etiam alii inter homines ingenio, ratione, & sapientia præstant: alii vero corpore & viribus valent, ingenio & ratione non ita; & hi illorum ingenio natura ipsa subiacent, & parent.* Ex hoc loco Aristotelis quidam colligere conantur, inter homines, alios esse natura liberos, alios natura seruos. *Richard. 4. dist. 36. art. 4. q. 1.* Sed certe dubitari non potest, quin homines ex liberis parentibus procreati, per naturam ipsam libertate sint præditi, quamuis postea iure gentium iusto bello de iudici multi in seruitutem redigantur. Vnde ius Civile, & Canonicum aperte definiunt, seruitutem iure gentium, ac belli esse introductam, & ab initio homines natos esse natura liberos, vt colligitur ex *Instit. de iure nat. gent. & civili, §. Ius autem gentium, & de iure personar. vers. seruitus autem, & de Libertate in principio, & Libertas ff. de statu hominum. l. Mammillationes ff. de Inst. & iure, & dist. 1. cap. Ius gentium. & cap. cum Redemptor 12. quaest. 11.* ex Gregorio habetur, [homines quos ab initio natura liberos protulit, & Ius gentium iugo subicitur seruitutis.] Aristoteles vero tantummodo videtur docuisse, quosdam nasci ita imbecillo, &

tudi ingenio, vt seipsos regere nesciant: quos propterea non ita redigit in seruitutem, vt tanquam mancipia sint aliorum potestati subiecti, sed in seruitutem quandam civilem, vt aliorum consilio, prudentia, sapientia, & montis civiliter gubernentur: quorum etiam iudicio, & auctoritate ad bonum trahantur, a malo auocentur, doceantur, & in civilibus vitæ actionibus dirigantur, vt sic in officio contineantur. Item Aristoteles ibi solum docere vult, quosdam esse ingenio, & natura magis aptos ad dominandum, alios ad seruiendum, nimirum ciuilitate.

Secundo quaeritur, An seruitus, quæ est legibus introducta, ac propterea dicta legalis, pugnet cum iure naturali, & an sit ob peccatum inducta: Profecto iura ciuilia aperte testantur, seruitutem per se contra naturam extitisse, in l. libertas ff. de statu hominum. *Instit. de iure nat. gent. & civili, §. Ius autem gentium, & de iure persona. vers. seruitus autem:* eo quod omnes homines ab initio liberi nascebantur, nec bella, & captiuitates tunc erant. Et Ambrosius in cap. Sexto die. dist. 35. ait: *Manebat omnibus, antequam vinum inueniretur, in concessa libertate: nemo sciebat à conseruata natura sua obsequia seruitutis exigere: non esset hodie seruitus, si ebrietas non fuisset.* Hæc ille, ergo seruitus est per ebrietatem inducta.

Augustinus lib. 19. de ciuitate Dei, cap. 15. aperte dicit: *Rationalem hominem factum ad imaginem Dei, voluit Deus irrationalibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori: & paulo inferius: Condicio qui per seruitutis iure intelligitur imposta peccatori. Proinde nunquam Scripturarum legimus seruum, antequam hoc vocabulo, Noe iustus peccatum filii vindicaret. Nomen igitur istud culpa meruit, non natura.* Et inferius: *Prima ergo seruitutis causa peccatum est, vt homo homini conditione vinculo subderetur.* Gregorius lib. 21. Moral. cap. 11. Omnes, inquit, homines natura æquales sumus, sed accessit dispensatio in Ordine, vt quibusdam prælati viderentur: Paulo inferius: *Omnes homines natura æquales genuit: sed variato meritum Ordine, alios alius dispensatio occulta postponit: ipsa autem diuersitas, quæ accessit, ex vitio recte est iudicis ordinata.* Hactenus illi magni patres. His accedit: quod iure gentium introducta sunt bella, captiuitates, seruitutes. *Instit. de iure nat. gent. & civili, §. Ius autem.* Hinc fit, vt Iurisconsulti libertatem temper tueantur, & seruent, quandoque leges & Iura, testamenta, contractus, donationes, & alia huiusmodi, verba contineant ambigua, obscura, & incerta, in quibus interpretandis, semper quoad possunt libertati fauent.

Quidam vero sentiunt, seruitutem esse naturali iure constitutam: tum quia iure gentium sunt seruitutes hominum inductæ, vt habetur in l. Ex hoc iure ff. de Insti. & Tu. & in cap. Ius gentium, dist. 1. ex Isidoro. *Instit. de iure nat. §. Ius autem gentium, & in l. libertas ff. de statu hominum.* Et Ius gentium idem est, quod ius naturale, *Instit. de iure nat. ur. gent. & civili, §. Ius autem civile, & l. Omnes ff. de Insti. & iure.* Tum etiam, quia vbique terrarum, & gentium alii sunt domini, alii serui, & ex ipso naturalis rationis præter proferri etiam multi sunt facti. Nec est à ratione alienum, vt quemadmodum iure belli bona capta, in victorum potestatem, & dominium transferuntur, sic etiam bello victi in captiuentium dominium transeunt: & quos aliqui victores ipsi necare iure possent, iure victi donatos in seruitutem redigunt, *Instit. de iure personar. §. Serui autem ex eo:* quibus enim vitam iure possent eripere, iure adiungunt libertatem. Est enim vita libertate carior, atque preciosior. Sanctus Thomas 4. dist. 36. q. 1. art. 2. docet seruitutem esse iuris positiuum, non naturalem, Communis est opinio, et iurisdictionem iure gentium cõpisse: sed multum habere ex legibus, & iure civili. Et ideo Sanctus Thomas loco citato, Durandus quarto dist. 36. quaest. 2. dixerunt seruitutem esse iuris positiuum, cum tamen Alexander pag. 3. quaest. 27. memb. 4. art. 3. §. 4. in fine docuerit, seruitutem iure naturali esse introductam, corrupta per peccatum natura, sicut est inducta rerum diuisio.

Quod autem leges ac iura seruitutem contra naturam esse testantur, id ita accipiendum esse plerique putant, ut sit non quidem contra ius naturalem, sed contra humanam naturam institutionem, & conditionem, quae si seruetur illa, belia non essent, ac proinde nec essent captiuitates, nec seruitutes introductae. Rupto tamen primo humanam naturam scedere, iure gentium, ac proinde ipsius etiam rationis instinctu constituti sunt Reges, Magistratus, & iudicia; & deinde exorta belli iura, & inde profectae hominum captiuitates, & seruitutes. Ergo seruitus est contra naturam, hoc est, contra id, quod homini natura in prima origine concessit, siue contra facultatem agendi, siue viuendi, ut velis, ab initio cuius hominum a natura datam.

Meo quidem iudicio fortassis ideo iura ciuilia, & leges dixerunt, seruitutem esse contra naturam, quia loquebantur de seruitute, qua apud Romanos ante Imperatorum leges serui erant in potestate Dominorum: nam iure Romanorum antiquo, Domini vitae, & necis in seruos potestatem habebant, & eis tanquam instrumentis quibundam libere utebantur. Et hoc imperium in seruos, cum iure naturali pugnat, nec est iuris gentium, sed humani, & ciuilis.

Ambrosius, Augustinus, Gregorius, vere scripserunt, seruitutem ex peccato natam: quia ut ex sacris litteris constat, si homo, ut est a Deo ab initio conditus in vita innocentia, & probitate persistisset, captiuitates, & seruitutes non fuissent: corruptus per peccatum natura, inter omnes gentes bella, captiui, & serui esse ceperunt.

### C A P. XXXI.

#### De causis legitime seruitutis.

**P**rimo quaeritur, Ex quor, & quibus causis seruitus legitima nascatur? Respondeo, ex multis. Prima, est ius belli: nam sicut ex iusto bello bona capta in captiuentium dominium transeant; sic etiam ipsi homines iusto bello capti, & serui effecti, in captiuentium potestatem deueniunt. *l. Transiugam ff. De acquir. rerum dominio. Et Instit. De rerum diuisione. §. Item ea, ubi legimus: Quia ab hostibus capiuntur, iure gentium nostra sunt: adeo ut liberi homines in seruitutem nostram redigantur. Sic ibi.*

Sed apud Christianos vsu, & consuetudine receptum est, ut Christiani a Christianis bello iusto capti, libertati, data & recepta pecunia restituantur, aut retineantur ut obides: non enim sunt serui captiuentium. *Bartolus in l. Hostes ff. de captiuis. Et postquam reuert.*

Si tamen Christiani iusto bello ab Ethnicis, aut aliis a Christiana fide & religione alienis hominibus caperentur, eorum serui iure gentium fierent. Porro hoc iure belli, quemadmodum pueri, ac caeci: innocentes necari possent, sic etiam in seruitutem redigi, ut postea dicemus.

Secunda causa seruitutis, est Delictum. Canones enim leges, & iura, quemadmodum ob certa quaedam facinorosa poena capitis, & vltimo supplicio plectunt: sic etiam olim ex lege duodecim Tabularum, debitor, qui solvendo non erat, creditoris seruus fiebat, *teste Gellio libro vigesimo capitulo primo.* itaque iura ob quaedam delicta fontes libertate priuant. Capit. eos qui, *distinctione trigesima secunda:* Urbanus secundus, concedit secularibus Principibus facultatem, qua serui uel subiciant feminas, quae nuptias contrahunt cum uiris sacris ordinibus initiatis. Cap. Cum mulx, *decima quinta questione, Ex Concilio Toletano, 9.* sancitum est, ut filii procreati ex nefario connubio, contracto cum his qui sunt in sacris ordinibus constituti, serui sint in perpetuum eius Ecclesiae, cui est adscriptus eorum pater. Capitulo, *Ita quorundam, de Iudaeis, & Saracenis;* Alexander tertius, *in Concilio Lateranensi,* & Innocentius tertius, *in capitulo Ad libertatem, de Iudaeis,* ita sancierunt: Ut Christiani deferentes orna, ferrum, & lignamina, ad galeas Saracenorum, aut in galeis, & piraticis

Saracenorum nauibus, regimini, & cura gubernationis praefecti, serui fiant captiuentium. Capitulo, *De Raptoribus trigesima sexta, questione prima* statutum est, ut raptor, si de uoluntate illata puellae constituit, in seruitutem redigatur, aut se redemptum liberam habeat facultatem, puella ei adempta, & parentibus restituta. Si uero puellam raptor consenserit, raptor fiat seruus parentis. Olim mulier, quae se alieno seruo supposuerat, monita prius a domino ne id faceret, adempta libertate cum adultero conseruata fiebat. *lege prima, Codice De Senatus consulto Claudiano tollendo.* Ex familia latronum comprehensi, fiebant serui comprehendentium. *leg. secunda. Codi. Quibus ad libertatem procliam non licet.*

Item *leg. Si manus missus. Codi. De Libertis. Et eorum liberis, Et Instit. De capitis diminuti. §. Maxima,* Libertus ingratum animi crimen, uel aliud committens in patronum, qui ipsum sua sponte manumissit, in seruitutem priuinam reuocatur: non ipso quidem facto libertatem amittit, sed si patrono contra eum agente, fuerit in iudicio criminis condemnatus, & filii eius non ante, sed postea concepti, & nati, serui fiunt. *Leg. prima, Codice de Mendicant. ualido libro undecimo,* qui sine ulla necessitate mendicant, possunt inspicere: & qui eos inspexerit, & prodierit, & eos esse ualidos probauerit, dominium eorum adaequatur.

Tertia causa seruitutis est, Originis conditio. Nam qui ex ancilla nascitur, siue pater sit liber, siue seruus, siue ex matrimonio legitimo, siue aliter procreatus, seruus eius efficitur, cuius ancilla est mater, quia partus in hac te, matris fortunam, & conditionem sequitur. *Sic habetur in l. partum. C. de rei vindic. Et seruorum ff. De statu hominis de iure personar. §. serui autem. Et de Ingeniis, §. Si a quibus. In hac enim parte leges idem iuris esse uoluerunt, quod est de fructibus arborum, & foetus animalium. Nam sicut fructus arboris tuae est tuus, & foetus pecudis tuae, tuus est; sic partus tuae ancillae in bonis tuis numeratur: quamuis quod ad honores, dignitates, & familiam pertinet, liberi, non matris, sed patris conditionem sequuntur. *l. Si filiam. Et l. Liberos. ff. de Senatori. l. Exemplo, l. Eos, C. de Decisionibus lib. 10.**

Sed quaestio est, An filii nati post litem contestatam, sequantur matris conditionem, si postea fuerit ancilla, aut libera iudicata? Respondeo, sequi: si uis ante litem contestatam matris nihil nocet sententia postea pronuntiata, *l. vlt. C. De liberali causa. Et l. partum ff. De iur. iur.*

Quaeritur etiam, Quod sit dicendum de ea, quae cum ancilla est, concepit, sed postea amata, uisita, & facta libera peperit? Respondet Iurisconsultus Martianus *in l. Et seruorum, ff. De statu hominum,* cuius sententiam approbat Iustinianus *in Instit. De ingenis. §. Sed et si quis,* sufficere liberam fuisse eo tempore quo nascitur filius, licet ancilla conceperit: & e contrario, si libera conceperit, deinde ancilla partu peperit, tunc enim qui nascitur, liberum nasci, nec interit, iustus nuptis, an vulgo, quis non debet calumitas matris nocere ei, qui in ventre est. *Ex hoc quaesitum est: si ancilla praegnans manumissa sit, deinde ancilla postea facta peperit, liberumne an seruum pariat, Et tamen rectius probatum est liberum nasci, Et sufficere ei qui in ventre est, liberam matrem, uel medio tempore habuisse. Sic Martianus, & Iustinianus, Paulus quoque Iuri consultus lib. 2. recepta, sentent. tit. 24. sic ait: Si serua conceperit, Et postea manumissa peperit, liberum parit, id enim fauor libertatis extorsit: Si libera conceperit, Et ancilla facta peperit, liberum parit: id enim fauor libertatis extorsit: si ancilla conceperit, Et medio tempore manumissa sit, Et rursus facta ancilla peperit, liberum parit, media enim tempora a libertate prodesse, non etiam nocere possunt. Sic ille. Hoc tamen locum habere quidam existimant in seruitute, quae iure ciuili introducta est: ueluti si femina se participandi pretii causa uendi passa sit, non autem in seruitute, quae iure gentium est constituta, utpote in femina iure belli capta, nam constat natum in eo statu filium seruum esse, ut in Seruio Tullio vsu uenit, cuius, *teste Dionysio lib. 4.**